



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Ad uictoriam pro occultis filij, Psalmus Daud.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Semite maris

Quærat autem quispiam, cur semitas maris tribuant piscibus, & ihs qui in eo uersantur, cum nihil minus in mari, q̄ semita, sicut & in aere, appareat: Forte q̄ mare totum sit peruium, in quo qualibet bestia suum iter faciat, & tamen nunq̄ communis, & regia uia perseveret, neque eadem uia sapius ibi teratur. Verum hæc leuicula.

Cultus Christi legitimus.

Habemus itaq̄ Christum passum, coronatum, prædicatum, ac creditum in hoc psalmo descriptum egregie: quem titulus torculari suo nobis indicauit a principio. Ideo, ut denuo inculcet eius legitimum cultum, qui alius non est, q̄ fides, laus, prædicatio, confessio, repetit uersum primum, dicens:

Domine dominus noster, q̄ admirabile est nomen tuum in uniuersa terra.

Magnum est enim, & arduum hunc Enos, & filium Adam credere tantæ & gloriæ, & dignitatis esse: Ideo repetendum, & assidue id inculcandum moner. Stat enim sententia: Deum esse memorem, uisitatorem, coronatorem, sed eorum duntaxat, q̄ obliuione, ignominia, solitudine sunt extreme in nihilum redacti, qualem enim exaltasse Christum, hoc psalmo scribitur, tales, & semper exaltaturus eodem exemplo cognosci uoluit: In quo satis demonstrauit, in quos nam oculi sui sint aperti & firmati: Nempe oculi domini super iustos, (id est, eos qui sunt nihil in hac uita, tam sibi, q̄ hominibus) quia humilia respicit in cælo & in terra. Atq̄ hæc ipsa misericordia eius facit, ut magnum sit nomen eius in uniuersa terra.

Oculi domini aperti in eos, qui sunt nihil in hac uita.

PSALMVS NONVS.

Ad uictoriam pro occultis filij, Psalmus Dauid.

Quanta bone deus, est huius tituli exponendi uarietas; alius mortem Absalom, alius mortem Goliath, alius instrumentum musicum, alius iudicium dei occultum, alius iuuentutem, alius Cantorem psalmi, aliud aliud intelligit. De quibus omnibus, qui uolet lyram Burgen. & Reuchlin uideat.

Scopus huius psalmi.

Ego quantum ex scopo psalmi capere possum, sequar Burgenis titulum, non interpretationem, qui dicit אלמuth עלמות Almuth, quod pro occultis transfertur, hebraice iuuentutem significare. Est enim psalmus iste omnino generalis, quædam gratiarum actio, exultatio, exhortatio, oratio plena iucundis affectibus, de uictis uincendisq̄ assidue inimicis, quæ non possit conuenire, nisi populo in medio inimicorum agentis, pugnantis, uincens, triumphantis, tam de præteritis, q̄ præsentibus, & futuris loquenti. Quare de populo Christi, præsertim Martyribus & eorum persona psalmum esse dictum, non dubito. Quod, ut aliquantulum demonstremus, titulum hebraicum traciemus, qui sic habet: למנצח עלמות לבן במזמור לרהר Lamnazeah, Almuth, Laben, Mízmor, Ledauit. Lamnazeah, ad uictoriam sonat, satis expositum supra. Mízmor, Ledauit, psalmus Dauid, Reliquum est Almuth Laben. Si Almuth cum Hieronymo diuidas, in duas dictiones (quod Lyra negat) sonat super mortem, seu ad mortem: Et hinc alij mortem Goliath, alij Absalom, hic sonant. Si unam dictionem serues, est nomē abstractiuum a uerbo אלמ Alma, quod abscondit, significat: A quo uerbo Adolescens, & Adolefcntula uocantur, Elem, & Alma: Quod in tabernaculis, & abscondito educantur, cum peri

cum periculosissimum sit teneram aetatem uagari in mundo, & illecebris exponi. Inde, & almuth, iuuenturem, adolescentiam, & eam, scilicet aetatem significat, quae hac ratione absconditur, & in occultis religiose educatur. Sic Jacob scribitur, uir simplex morans in tabernaculis, Genesis, xxv. Contra, Elau uir gnarus uenandi, & agricola, Atq; ab hac consuetudine, obtinuit usus, ut adolescentulae uocentur hebraice Almoth (id est, absconditae): ut Isaia, vii. Ecce Almoth concipiet &c.

Dauid autem dedita opera hoc titulo, prodigiosam iuuentutem signat, dum iuuentutem habens, id est, filij, seu, filio, signat: cum adolescentes, seu, adolescentulas habere sit patris, aut aui, aut ad summum fratris, siue tutoris cuiuspiam. Quis est enim filius, qui, ut filius possit dici habere adolescentes, & adolescentulas, quos in abscondito erudiat, & educet? Proinde Christum manifeste indicat, qui nouo miraculo carnalem generationem sua natiuitate finiens, filius tantum est, nullius scdm carnem pater, & tamen spirituales generationem, noua per baptismum natiuitate incipiens, pater est multorum filiorum, & filiarum, quos in abscondito fidei educat, erudiens, ne sapiant ea quae patent, sed ea quae latent. Sicut psalmo, xxvi. Abscondes eos in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum. Quare uero similis est Almoth utroq; significato Almoth, in unum coacto, significare nouam creaturam Euangelij, prolem gratiae, iuuentutem baptismi, populum noui testamenti, ac uere absconditas filij, id est, fideles & obediens Christi, quorum uita sub morte, salus sub cruce, gloria sub ignominia lateret. Sic enim abscondidit eos mundo, quos Dauid uir plenus spiritu, concepit significari adolescentibus, & adolescentulis, domi & abscondite educatos. Est enim, & hac inter caetera Iudaici populi laus, q; a mercatorum & negotiatorum studijs semper fuit alienus, suis ac domesticis contentus pro uentibus, sicut & patres eorum. Quandoquidem, ut Polytopi illi, & uagabundi homines, multorum quidem hominum uidet mores, & urbes ciuilescq; (uti putant) & urbani redduntur: Ita multorum quoq; pessimorum exempla, & hauriunt, & inuehant alijs: quod Corinthus, Syracusa, Tyrus, Alexandria satis probauerunt, ut Romam taceam, & adhuc probant in hodiernum diem, emporia famatiora, ut non iniuria Cananaeos (id est, negotiatores) potissimum de terra expulerit deus. Satis ciuilis est, qui legem dei sui nouerit, & deo pure seruerit, ad quod maxime opus est, praesertim adolescentioribus, secessu abscondito, & fuga hominum. Gentilis ille ait: Quoties inter homines fui, minor redij. Et ille: Amici fures temporis. Ac diuus Bernhardus: Nunq; minus solus sum, q; dum solus sum. Non q; uelim aetatem istam solitudini deputare, cum & exemplis horredis, & illustrium patrum autoritate probatum sit, solitudine nihil periculosius esse adolescentiori aetati: rursus idem periculum conuersatio turbae. Quid ergo? hoc consultum est, ut magistrum domesticum, ac familiarem habeat, sub cuius conspectum omnia dicat, faciat, omitat in timore. Atq; id demum est, Almuth esse, id est, domi bene institui, tum ubi instituta fuerit, & foras in officium uocatur regendi populi, tum illud praestet affectu, quod prius effectum, tum sit Almuth in spiritu, quae fuit Almuth in litera, iam perseipsum ea quae patent contemnens, & contemnere docens, quae huc usque alterius magisterio contempsit, immo contemnere docta est. In hanc Almuth olim instituta sunt monasteria & uniuersalia studia. Neque hoc abiecero, q; abscondita ista, non modo intelligantur pro parte ista Ecclesiae, sed etiam contraria inimicorum: q; uidelicet decantet, non solum populi

Almoth.

Laus Iudaeorum.

Mercatorum praconium.

Adolescentibus piculosa solitudo, & turba.

Cur monasteria sint instituta.

populi spiritualis, & absconditi statum & opus, sed & spiritualem, & quæ in abscondito contingit uictoriã de inimicis, q̄ illi spiritualiter pugnent & hi spiritaliter uincantur, quo impleantur figuræ bellorum uer. testamenti, ubi corporaliter cæsi fuerunt inimici, quia ibi erat aperta serui, id est, Mosi, figurata & externa facies, populi, belli, uictoriæ, sicut hic abscondita filij, id est, spiritualis, & interna plenitudo populi, belli, uictoriæ.

Almuth.

Esto itaq; Almuth populus Christi, cuius uita abscondita est cum Christo in deo, qui non ambulat in his quæ patent, sed ab hijs qui sic ambulant multiplicatur, & uictor in omnibus hæc suo Christo cantat, de inimicis suis in abscondito & spirituali bello uictis, ut utriusq; sint abscondita, tam apud uictos, q̄ uictores, utriusq; in spiritu agentes.

CONFITEBOR tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.

Ordinem psalmodum a primo usq; ad octauum dedimus psalmo sexto, tantum forte nunc quoque, qua ratione octauus sequatur septimum, & hic nonus, octauum. Manifestum est autem, septem priores psalmos esse passionum, & tribulationum Christi capitis, q̄ Christianorum membrorum descriptiones, inter quos nullus est, qui laudibus, & confessionibus gestiat: Octauus enim, primus omnium incipit nomen, laudem, gloriam, honorem exultare, nec habet ullam querelam, nec agit causam cum aduersarijs, sed fructum passionis præcedentium summario colligit, recitans, q̄ nihil promoueat persecutores, & q̄ feliciter habeat passus. Atq; id, ut in capite omnium patientium Christo inchoaret, optime conueniebat: Ideo optimo ordine octauus & post tribulationum psalmos sequitur, & Christum canit loco primo, inter gaudentes, & passionum uictores. Oportet enim tribulatos interdum consolari, ut possint sustinere: ideo, & psalmos nunc lætos, nunc tristes, uario ordine misceri, ut hæc ipsa diuersorum psalmodum mixtura, & confusa ordinatio (sicuti putatur) exemplar esset uitæ Christianæ, quæ inter uarias tribulationes mundi, & consolationes dei exercetur.

Ordo psalmodum quid in dicit.

Ecclesiæ consolatio.

Inchoata itaq; lætitiã psalmo octauo Christi capitis, omnium passionum uictoris, recte subsequitur hoc nono, & corporis suæ Ecclesiæ lætitiã, de suarum quoq; tribulationum uictoria, ut quem secuta est psalmis præcedentibus uia passionis, eius sit & sotiã consolationis, exemplo & (ut dicitur) uelut digito monstratura, confirmaturaq; id quod psalmo præcedente dictum est: Ex ore infantium & lactentium perfecisti uirtutem, propter aduersarios tuos, ut destruas inimicum & ultorem. Pergit inq; ostendere hæc uirtutem oris infantilis, & Christum super omnia constitutum, ut non inepte hunc psalmum queas præcedentis exemplum existimare expressum, cum in eo aduersariorum, inimicorum, & ultorum destructio, & magnificatio nominis, ac laudis dei, sic tractetur, ut aliud fere nihil tractetur. Quia enim David uirtutem ex ore infantium perficiendam cognouisse cernitur psalmo. viij. nunc ne sine mète sonum dedisse putaretur (ut Mōtanus propheta inculcat) ostendit se nosse quoq; rem, & uniuersum negotium eius uirtutis.

Verba ista: Confitebor & psallam, psalmo. vij. uersu ultimo illo: Confitebor domino scđm iusticiam eius, & psallam nomini domini altissimi, satis expressa sunt,